



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

DISSERTATIONEM <sup>04.</sup>  
DE  
UTILITATE  
IVRISPRVDENTIAE NATVRALIS  
AD THEOLOGIAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS  
PRAESIDE

M. IOAN. GOTTHELF ROSA,

*Ad D. IANVAR. 1711. CCXX.*

PVBlicAE ERVDITORVM DISQVISIONI

EXPONIT


GOTTLIEB CHRISTOPH. QVEHL,

BARBIENS-SAXO.

SS. THEOL. STVD.

---

IENAE,  
LITTERIS NISIANIS.



NOBIS VOBIS

PERILLVSTRI

GENEROSISSIMIS

SVMME REVERENDIS

EXCELLENTISSIMIS PRAENOBILISSIMIS AMPLISSIMIS  
CONSVLTISSIMIS

DOMINIS

PRAESIDI

CONSILIARIIS ET ADSESSORIBVS

HAGIO-SYNEDRII

QVOD ALTENBVRGI EMINET

SPLENDIDISSIMIS

DOMINIS MEIS GRATIOSIS

PATRONIS ET FAVORIBVS

MAXIMOFERE OBSERVANDIS

AVSPICIUM NOVI ANNI

AVSPICATISSIMUM

ET IN LONGAM SERIEM

MVLTVRVM FELICITATVM FOECVNDVM

VOTO DEVOTISSIMO ADPRECATVR

ATQVE

DISSERTATIVNCVLAM HANC

PII

QVO

TANTA NOMINA

SVSPICIT


A N I M I

TESSERAM QVALEMCVNQVE SACRAM ESSE VOLVIT

CVLTOR ATQVE CLIENS

OBSERVANTISSIMVS

M. IOAN. GOTTHELF ROSA.



# PROOEMIUM.

## § I.



Non inanis videri debet aut vana eorum opera,  
 qui in disciplinarum *utilitatem* inquirunt.  
 Quemadmodum enim, quicquid ad cogno-  
 scendum homini obuenit, merito ita com-  
 paratum esse debet, ut ad felicitatem morta-  
 lium conferat; cuius partem haud extremam  
 absoluit rationis cultura, vitaeque humanae ad sapientiam  
 moderatio: ita posthabendae sunt eae scientiae, quae nihil  
 utilitatis promittunt; quoniam non tantum nihil con-  
 dunt, sed insuper corrumpunt potius mentis integritatem,  
 at certe temporis, tam prudenter omnino in optima quae-  
 ris impendendi, quam nihil est pari pretio, iactura illu-  
 dunt.

A

§. II.

## § II.

Si autem ex homine ipso, eiusque partibus, ex quibus admirabili artificio composuit sapientissimum Numen, felicitatis, qua frui licet, diuersitas facile elucescit; ex hac merito de ordine atque praestantia disciplinarum colligitur. Finis enim, ad quem obtinendum quaedam praeceptiones humanam mentem componunt, est id, ex quo de artis praestantia & utilitate concludi debet. Videmus, hominem esse ex spiritu & materia conflatum. Harum partium alteram, quam animam aut mentem vocamus, esse immortalem, iam dudum solidissimis rationibus constitutum est: alteram interitui esse obnoxiam, sensus & experientia irrefragabili testimonio euincunt. Quae igitur disciplinae animae felicitatem sibi, siue instaurandam siue tuendam vindicandamue, praefixam habent, praestant omnino iis, quae circa corporis incolumitatem versantur. Cum praeterea, praeter felicitatem animi & corporis diuersam, quandam coniunctam atque communem habeat utraque pars, tum in hac vita, tum, quod sacrae literae, ad illustrandas hac in re rationis nostrae tenebras, perhibent, in altera eaque aeterna vita: proclive est ad iudicandum, eam disciplinam, quae circa aeternam illam felicitatem homini comparandam occupata est, maximi esse omnium aestimandam. Maxima enim est illa felicitas, quae & in se summa est, & id habet sibi proprium, ut nunquam cesset. Ad quam, quo propius accedunt disciplinae philosophicae, eo maioris esse censendas, luculentum esse puto, potissimum, si sint practicae, quae ipsam vitam moderen.

derentur, neque res tradant nudae contemplationis. Quas  
inter cum *iuris naturalis* disciplina omnino referenda sit,  
haud indignum visum est dissertationis alicuius argumentū,  
illius utilitatem, quam futuro theologo promittit & praestat,  
exponere: eo potissimum consilio, ut, eneruatis variis praec-  
iudicatis opinionibus, quorum mira vis est ad arcendos  
a saluberrima cognitione animos, veritas in locum vindic-  
etur, multorumque mentes, excusso errore, recuperet.

§ III.

Sunt enim philosophiae omnes otores inter eruditos,  
quibus interdum non sufficit adseruisse, nihil magnopere  
prodesse studium philosophiae, sed impudentius de incom-  
modis & damnis, ex isto studio oriundis, declamant. His  
sanae mentis restitutio exosa est, & abiectum, quidvis ipsi  
ignorant, contenti, dedicisse aliquid opificum instar, quo  
panem lucrentur, infra quod longe abiiciunt iudicio suo,  
quod eo non oppido comparatum deprehendunt. Hi men-  
tes teneras a sapientiae studio aut arcent, aut auocant, de-  
mulcentes improuidam aetatem illepidis nugis, quibus igno-  
rantiae, atque hinc orto philosophiae odio, contemptus atque  
inulsae irrisionis velum obducunt, a semetipsis dissentien-  
tes, quippe probe conscii, in philosophia omnium fere cere-  
rarum disciplinarum prima principia delitescere, ideoque e-  
ruditos omnis generis, qui caput ex agmine multorum extu-  
lerunt, celebritatis suae causam non postremam in philoso-  
phiae scientia habuisse.

§ IIII.

Nolo hic tangere ignauos, quibus prima cura est, ut



cito, quicquid est maxime opus, ne alimenta deficient, breui spatio decurrant. His enim quicquid inculces, frustra eris, quos nulla inuadit ad solidam eruditionem emergendi cupiditas, exclusa infixo prorsus ignaui otii amore, cui molestum est, quicquid ad suauem pigritiae molliem recurrentis festinationem remoratur.

## § V.

Magis institutum nostrum pertinet ad eos, qui iuris naturalis disciplinam spernunt, parum ab ea emolumenti futurum esserati, cuicumque studio animum deuoueris, imo multis ad Naturalismum vias aperire. Qui facilius in nostram deflecti sententiam possunt, si ostendas, disciplinae huius originem cum natura hominis esse coeuiam, neque de praesentia alicuius disciplinae ex abusu colligendum esse, prioribus autem temporibus barbariei rubigine obductam latuisse, non, quod nulla esset, sed quod istius aetatis homines in nobilissimam scientiam iniurii essent, distracti pluribus aliis difficilibusque nugis. Qui enim iuris naturalis praecepta, quantum sufficere theologiae studioso pesit, in ipso sacro codice contineri opinantur, parum recte sentiunt de diuino isto opere, philosophiam quaerentes ibi, ubi eadem supponitur, in subsidium vocanda, quotiescunque occurrant, quae ex profundioribus disciplinis, quasi ministris, quandam dilucidationem desiderant. Quoniam tamen hi ipsi sunt maxime, qui suo damno haud leui, insignem de iustitia naturali doctrinam siue negligunt, siue despiciunt, his ideo potissimum destinata est haec nostra, de utilitate iuris naturalis in theologia, explicatio.

## § VI

## § VI.

Etenim ii, qui disciplinam hancce philosophis invident, **I**ctis vindicandum arbitrantes, quicquid *iuris* nomine ad-  
**P**elletur, facile ignoscent nobis, vsum cognatae iustitiae  
**P**robe cognitae largissimum adferturis in diuina scientia. Ex  
**h**oc enim, quod congeniti luminis de iusto dictata, non mi-  
**n**us ad theologiam quam ad iurisprudentiam adferunt vti-  
**l**itatis, neutri litigantium parti abdicimus, neque tantum  
**n**obis arrogamus, vt pro alterutra parte sententiam dicamus,  
**c**ontenti, si societate vtilitatis; quam praestat ius naturae  
**f**uturo erudito, theologia non penitus excludatur. Nimi-  
**u**m videri multis possit, quod celeb. VVEBERVS a) ideo  
**d**ionet, sese *omnia ad vsum praecipue iuridicum direxisse*, vt  
**p**raeter alia, *adpareat, disciplinam hanc vere iuridicam, &*  
**s**on *nisi Ictum idoneum illius doctorem esse.* At loquitur  
**d**e doctore I. N. ad iurisprudentiam civilem *applicandis*  
**i**deoque iis, qui ad philosophiam referunt, non aduersatur.  
**V**bi enim innuit, sese adiectas adnotationes *potissimum*  
**a**d vsum iuridicum direxisse, diserte alium quoque vsum  
**i**cti disciplinae admittit, recte discernens *praecepta* ipsa, ab  
**c**orumdem *applicatione & vfu.* Quemadmodum enim, quod  
**v**iri clarissimi demonstrarunt, vbertas nostrae disciplinae  
**n**on tantum in vitam communem b), sed & in alias disci-  
 plinas

A 3

a) In noua praefatione tertia, eius editioni libelli PVFENDORF.  
 de officio hom. & ciu. praefixa.

b) vid. ROEMERI Vorstellung von der Nutzbarkeit des natü-  
 lichen Rechts im gemeinen Leben.

plinas e) quam largissime sese diffundit; ita is quoque, qui ad sanctissima theologiae mysteria scrutanda animum adiecit, neque fructu ex scientia iurisprudentiae naturalis, neque damnis ex eiusdem ignoratione, destituitur. Quod ubi nobis hac qualicunque opella euincendum proposuimus, faxit summum Numen, ne spe utilitatis, quam intendimus, prorsus excidamus, eiusdem vero, quantulacunque sit, redundantis iucunditate perfruamur. Quam tamen haud sperendam fore in iis, quod voti pietas promittit, praesagimus, qui, sereno liberoque affectuum proteruia animo, cogitata haec nostra perlegenda suscipient. Alia omnia iam praevidemus ab iis, qui, erectis a reprehendendi prurigine traducendique libidine manibus, rapaci impetu inuolant in aliorum scripta, vani liuoris inuenenato sputo temerantes, quicquid obuenit prolapsis in abiectam praevideatarum opinionum improbaeque mentis seruitutem animis inuidiosum. Horum, inquam, insultus, praevidemus equidem; neque tamen timemus, neque curabimus, obcallati generis istius hominum temulentiae, quam tacendo extinguere satius est, quam resistendo irritare.

## DISPV.

e) De utilitate, quam praestat ius naturae iurisprudentiae civili vid. SCHILTERVS in manuactione philos. moral. ad iurisprudentiam s. 1. § 10. KULPIS. colleg. Grot. exercit. I, § 1. PRASCHIVS de ICto vero & person. §. 17 & 18. BOEGLERVS ad Grot. p. 31 sqq. HOCHSTETTER. colleg. Pufend. exercit. I, § 1, not. (d) p. 3. tradit etiam aliquid SPENERVS in theologischen Bedencken part. I, cap. I, sect. 47.

## DISPVATIO.

## § I.

**E** Quidem ex eo facile quivis potest de commodis, ex iuris naturalis comparata scientia ad theologiam resultantibus, iudicare, quod omnes disciplinae mutuo sese coniunctionis cuiusdam vinculo contingunt, per articulos quasi in circulum connexae, ut, ubi alia desinit, alia ibi, amplexa ad novum opus pertexendum prioris finem, pergat: sed, quoniam *κυκλοσφαιδίας* a) illius non admodum solet a plerisque haberi ratio, qui aut aliorum animos formant, aut ipsi in literarum studiis versantur; id ipsum est, quod optimae saepe disciplinae, ignorantione affinitatis, quae omnes intercedit, postulantur ab iis, quos eruditionis adipiscendae cupiditas incensat. Contra, qui disciplinarum omnem ambitum vno obtutu emensurare potest, non tantum ea iucunditate fruitur, ut mutuam illarum coniunctionem perspiciat, easque invicem concinnare possit, & discernere limites; sed earundem praeterea adminiculis, ubi opus est, expedita dexteritate uti. Ita enim conspirant, ut variis modis alia aliam adiuvet. Siue enim alia materiam, aliunde depromptam, digerit, & in ordinem redigit, siue demonstrandi, quod refert, robur suggerit; siue illustrando lucem quandam affundit; siue ipsa fundami-

a) vid. omnino GAUDENTIVS obstetr. liter. dissert. IV. p. m. 30, sqq. collato Morhofio Polyhist, I, 1, 1, p. 3, alibique passim.

damina & elementa, quibus alia superstructa sunt, subster-  
nit; siue aliis innumeris modis intelligentiam nostram aut  
iudicii rectitudinem erigit, vel mentem quoque veritatis  
conscientia consolatur. Longum esset, hoc fusius demon-  
stratum ire; forsitan etiam, cum iam alii hac in re nobis  
otium fecerint, superfluum. Eo tantum consilio hanc sci-  
entiarum amicitiam hic tetigi, ut, quo sensu disciplina ad  
disciplinam utilitatis quidpiam adferre dicatur, eo liquidius  
posset intelligi. *Utilis* enim est illa, quae siue ordinando,  
siue probando, siue illustrando, ita inferuit, ut aut intelli-  
gentiam accendat, aut iudicandi vim acuat, aut aliis quibus-  
cunque viis mentem, in *veritatis* indagacione, *virtutisque*  
exercitio, ad culturam felicitatemque comparandam suble-  
vet. Qualis *utilitas* quanquam tanta saepe sit, ut,  
*necessitatem* si appelles, parum sis aberraturus a vero, suf-  
ficit tamen vox *utilitatis*, tum, ut abesse quidem a sacrarum  
literarum studio conuati iuris prudentiam posse, innuamus,  
incommodum tamen passim esse, si ea destituaris, atque  
melius sibi consulere, cui, istam sibi familiarem reddere,  
curae sit; tum, ne, quod experientiae repugnet, incogitan-  
tius adserere videamur. Facile enim quis obiiciat, resusci-  
tatum paulo abhinc a *Grotio* potissimum esse, quicquid stre-  
pitem hodie iuris naturalis, qua aetate priorem non minus  
tamen magnos tulisse theologos: imo ipsos *Grotio* aequales  
plerosque parum curae habuisse, quicquid alii nouitate per-  
culsi, distento rictu admirabantur: ne dicam, quam theo-  
logis stomachum mouerit arduus circa opus a *Grotio* coe-  
ptum ulterius prosequendum *Pufendorfsi* labor, summa  
indigna-

indignatione atque inuidia, ne quid maius dicam, conculcatus. Sed vero perperam contemnuntur, quod nouum quasi splendorem a *Grosio* acceperunt, iusti naturalis dogmata, e tenebris, quibus obuoluta erant, eruta, & in lucem vindicata, cum veritatem suam, valorem atque commodam probent cuique, eorum cognitione vel leuiter tincto. Nec defuere theologi, qui, quam praestabilis esset praeceptorum de iusto naturali traditio, bene existimarent, quorum commentationes in vulgus sunt editae, impari quidem, non tamen nulli futurae vsui, quisquis versare voluerit. *Pufendorfii* autem cum aliis, etiam ex parte theologis, contentiones atque certamina, non tollunt scientiae istius utilitatem, sed docent tantum, quantae fuerint de variis incomparabilis illius viri opinionibus atque placitis dissensiones; neque minus, *istius seculo*, aequae ac *Ciceronis* b) *labem quandam atque maculam* fuisse, *virtuti inuidere, velle ipsam florem dignitatis infringere*. Neque sane ad felicitatem nostrorum temporum non debet referri, quod tum aliae, tum philosophicae quoque disciplinae laudabili doctorum, quibus fertilis est haec aetas, conatibus, & certamine quasi ingeniorum, ad tam sublime perfectionis fastigium perduntur, vt, quo possint vterius ascendere, vix fingere queas. Quanquam nec minora sunt malitiae & improbitatis, infelicissimi lolii, in isthac temporum saepe, incrementa.

B

§ II.

b) vid. orat. pro L. Cornel. BALBO, opp. m. tom. II, orat. XXXV, p. 716, E.

## § II.

Equidem omnes philosophiae partes, aut *communi* quadam utilitate sese commendant sublimioribus disciplinis; aut singulae *propria*. De communi non admodum nunc erimus solliciti, tum, quod, quantum philosophia generatim foenoris reddat animo, quacunque disciplina alia imbuto, apud omnes cordatiores indubitabile est, tum, quod multi viri docti id iam dudum rationibus gravissimis confirmarunt. Neque eam *communem* memorabimus commoditatem, quam *plures* scientiae sibi decerpunt. Sed, quid iuris naturalis praeceptiones *proprium* sibi habeant, prae aliis philosophorum scitis, quae iis elargiantur, qui doctrinas theologicas animi pabulum vitaeque alendae sortem amplexi sunt, quibusdam exemplis dilucidabimus. Potissimum, cum, qui de incunda studii theologicis ratione scripserunt, satis multi c), nullam plerique huius disciplinae nostrae mentionem fecerint.

## § III.

*Iurisprudentiae* voce utimur, vsui loquendi magis, quam rei exprimentae, accommodata. Regularum enim *notitiam*, eorumque quae inde fluunt, *prudentiam* non maiori iure appelles, quam si quis logicae, metaphysicae, matheos aliarumque rerum *prudentiam* diceret. Quae quidem *iurisprudentiae* notio istum peperisse videtur errorem,

c) Scriptorum, qui de methodo stud. theol. tradiderunt, numerosam seriem vid. in unschuldigen Nachrichten ann. 1714. III. Ordnung. p. 461.

rem, vt, cum *prudens* nomen, siue admodum affine quod  
 esset, siue quod confunderetur, iis potissimum tribueretur;  
 qui, strictiori etiam vocis significatione, *politici* dicuntur,  
*iuris prudentes*, siue tantum, siue potissimum, *politicorum*  
 honorifico nomine digni existimarentur. Quicquid huius sit,  
 ita rem habere minime, tum historiarum monumenta, tum  
 aetatis quoque nostrae exempla satis demonstrant. Inte-  
 rim tamen, quemadmodum *vox prudentiae*, si solam con-  
 sideres, aut habitum innuit seu perfectionem *intellectus*,  
 recte colligendi iudicandique circa ea, quae nobis siue con-  
 ducunt, siue officunt; aut *voluntatis*, seu virtutem, qua  
 nostras actiones obtinendis honeste (d) commodis attem-  
 peramus: ita iuris *peritia* haud incommode *prudenciae*  
 voce insignitur, ad quam, si suis numeris absoluta esse de-  
 beat, omnino requiritur legum notitia, coniuncta cum ap-  
 plicatione iuris, solido iudicio firmata, ad facta quaecun-  
 que. Ex quibus aliae quoque prudentiae distinctiones  
 sponte intelliguntur, nec non quaestiones curiosiores ple-  
 raecumque; quam utiliores: quibus ideo immorari nostrum  
 non est e). Id tantum monuisse nobis sufficiat, aut repe-  
 tiisse

B 2

tiisse

- d) Haec enim voce *prudencia* discernitur a calliditate, quae com-  
 modis, quamvis *iniustissime* aucupandis, insidiatur & inhiae.  
 e) vid. si placet, ad ea, quae haecenus obseruauimus; illustre  
 THOMASIVS, introduct. ad philos. aulic. cap. III, § 16. sqq.  
 SWELING. Clau. scient. pag. 11. CONRING. de pruden-  
 tia ciuili cap. VIII. de *prudencia* in genere praecipit ARI-  
 STOTELES de moribus lib. VI, cap. V, quem sequuntur  
 HORNEIVS philos. moral. lib. III, cap. III & IIII; VOLCK-



tiisse potius, talem nobis hic dici *iurisprudentiam* naturalem, quae solido liberoque praesumptis opinionibus iudicio sit subacta, quae neque ex iurisprudencia civili, neque ex theologia, neque a moribus gentium, neque affectuum prauitate, quae multis est pro dictamine iuris naturalis, aut vnde cunque demum admixtum quid habeat, sed firmitate rationum philosophicarum consistat, non nisi ex sana serenaque ab omnibus nebulis ratione depromendarum. Quantum enim id detrimenti ipsi nobilissimae disciplinae dederit, errorumque enormium induxerit, quod homines non philosopharentur circa dogmata iuris naturalis, sed ea tantummodo siue ad theologorum placita metirentur, quibus praemuniti erant; siue statutis iuris civilis & probarent & illustrarent, non tantum scholasticorum ineptiae, sed nostro quoque tempore maximorum virorum monumenta, si penitus consideres, liquidum reddunt.

§ III.

*Naturalis* iurisprudencia cur dicatur, neque temere obscurum est vlli, & alibi pluribus indicauimus. Ideo hic non attinet repetere varias *naturae* significationes, quippe vocis, admodum ambiguae. Satis est, si sciamus, ita dici, quia de legibus explicat, *naturae* hominum, humanaeque societati coeuae, atque adeo proprias, vt, sine illis si foret, neque homo felix ac tutus, neque tranquilla totius generis ac certa salus constare posset; praeterea, quia ob id ipsum

ex

---

MAR dictionar. philos. f. I. caeterique aetclae, confer. etiam AEPINVS introd. in philos. part. V. sect. spec. II, cap. III, § III, pag. 158.

ex ipsa hominis, atque conflatae ex hoc genere multitudinis, *natura* atque essentia deriuandae sunt; & denique, quia luminis *naturalis*, hoc est sanae rationis sibi relictæ subsidio inde sunt eruendae. Ex quo vel sponte intelligas, nihil aliunde legum posituarum, quas aut reuelatio diuinitus nobis concessa praescripsit, siue quaecunque humana fixit auctoritas, huc esse inferendum, sed ex philosophiæ sanioris principiis elicienda esse omnia.

## § V.

Ordinis boni regulis vt obtemperemus commodum fuerit, praecipuas theologiae partes sequi, atque in singulis quid conducat, commonstrare. Prima est autem, & quae caeteris partibus instar canonis esse debet, illa theologiae tractatio, quae de dogmatibus veritatis diuinitus traditae agit, diuini codicis testimoniis, vt firmus sit animus atque certus, confirmandis. Huic succedit, quae aliorum dissensiones atque errores expendit & discutit. Quae vtraque pars, cum solidum requirat fundamentum id, quod exacta sacrarum litterarum vtriusque foederis intelligentia substernit, magnum omnino momentum habet explicatio & interpretatio sacrarum litterarum, quam *exegetica* theologia, vti appellant, suppeditat. Otiosa autem propemodum haec essent, nisi accederet ad vitam humanam rite formandam, vt DEO placeat, applicatio, quam vrget theologia *moralis*. Omnes hae partes lucem quandam sibi accendendam requirunt ab *historia ecclesiastica*, cuius iucunditas summa cum vtilitate contendit: quae nec ipsa excidit suis emolumentis, a nostra disciplina expectandis. His si subiecerimus, quid largiatur iuris naturalis notitia futuro concionatori,

tori, equidem non prorsus, tantum tamen, quantum brevitatis nobis iussae leges permittunt, beneuoli lectoris siue expectationi, siue humanitati, speramus nos satisfacturos. In caeteris enim quid iurisprudencia naturalis praestet, facile ex iis, quae monebimus, colliget vnusquisque, qui vinculum illud, quo reliquae partes remotiores cum his connexae sunt, cognitum habet.

## § VI.

Et primum quidem, cum rationis donum hominibus, tanquam indicium praestantiae prae omnibus animatis, originem omnino habeat a DEO, atque ideo iuris natura nobis insiti praecepta ex eodem fonte promanarint, indignum esse videtur, *rationem a reuelatione* discernere, quae inter se amicissime conspirantes, coniunctionem arctissimam & produnt sua sponte, & a nobis exigunt. Vbi itaque theologus incipit de scriptura sacra docere, non satis praeparatus est docendi animus, qui, quid rationis volumen in se contineat, & vbi illud subsistat, prorsus ignoret, &, nisi antea de imperfectione eorum, quae philosophia tradiderat, &, quomodo illa ducat ad librum reuelationis, perceperit. Si diuersitas vtriusque ducis ad cognitionem rerum diuinarum, *rationis & reuelationis*, ignoratur, & modus diuersus, quem adhibuit sapientissimum Numen ad sui notitiam hominibus communicandam, sane passim eorum connexione destituimur, atque in media variaque scientia, obducta multis nebulis mente laborabimus. Ea enim est boni ordinis indoles & efficacia, vt intelligentiam excitet non tantum quasi serenam, sed etiam locupletio<sup>rem</sup>, atque  
firmi-

firmiorem. Deprehendimus contrarium in iis, qui aut a iuris naturalis scientia theologiam, aut a theologia illam disiungunt. Illi de praestantissima disciplina nimis magnifice sentientes, eo facile praecipitantur erroris, vt sibi placeant satis, si ad normam dictaminum naturalium vitam componant. Tum procacitate quadam ruunt in contemptum rerum theologiarum, atque ita in *Naturalismi* peruersitatem facile delabuntur. *Alteri* vero sunt ad *superstitionem* procliuiore, statim obtupestati, si quid audiunt esse iuris naturalis, quod libro, diuina auctoritate scripto, videtur esse contrarium. Imo omnem fortasse hanc disciplinam aut tanquam periculosam, aut certe parum vtilem & abundantem, fastidiunt. Scyllam hanc atque charybdim vt eitemus, opus est a theologiae pariter atque philosophiae, tum vniuersae, tum potissimum moralis, & in hac iuris naturalis peritia, circumspectione mentisque certitudine sese praemunire. Neutiquam scilicet vlla intercedit inter sacras litteras sanaeque principia philosophiae discordia. Sed, quod intercedit inter generaliore diuinae voluntatis *delineationem*, in *rationis* quasi tabula descriptam; & inter accuratiorem eiusdem voluntatis *declarationem*, id interest discriminis inter philosophiam & theologiam; quarum illa mentem ad *humanitatem*, haec ad *sanctitatem* componat. Non enim satis erat optimo Numini, semina quaedam iusti atque honesti indidisse pectoribus mortalium, quibus tantum vmbra quandam felicitatis adsequerentur, sed adeo bene esse voluit humano generi DEVS, vt longe iis sublimiora traderet praecepta, quorum cognitione summam DEI sanctitatem propius intraren-

tuerentur, exercitatione autem eandem exprimentes, summam aliquam felicitatem consequerentur, rationi soli plane ignotam. Vnde populum suum DEVS gentibus in sacris litteris passim opponit, atque vult, vt dogmatibus sublimioribus & splendidiore vitae sanctimonia ab iis distinguatur.

## § V.L.

Hinc vbi de *legis diuinae* discrimine, indole, scopo atque neruo agendum est, non potest hac doctrina imbuendus animus subsidio iuris naturalis indigere, ad quam pertinent leges naturales omnes, & a qua ideo harum compendium quoddam, praecepta illa decem, tabularum pari a Mose proposita, mirifice dilucidantur, quae quid habeant in recessu, acutius cognoscat iurisprudentiae peritus, quam ignarus. Quemadmodum etiam de *lege illa positiua vniuersali*, de quo mirum est, quam dissentiant eruditi, nihil recte concipias, nedum statuas, peregrinus in nostra disciplina. De quo aliisque huc pertinentibus, neque hic plura adiiciemus, neque aliorum sententias examinabimus: ytrumque enim breui abhinc fiet alio loco opportuniore.

## § VIII.

Praeter haec, doctrinae de coniugio, de magistratu politico, de ecclesia, haud spernendam a iuris conuati scientia illustrationem mutuant. Si enim, vtrum polygamia simultanea sit iuris naturalis *f)*, disquisuerunt eruditi, in  
con-

*f)* *negant* & *pernegant* Theod. BEZA & Nic. MOLLERVS, vterque tract. de polygamia, IOAN. GERHARDVS in loc. de coniug. PAGENSTECHER ad instit. l. b. I, aphor. 29. BRVCKNERVS decision. iuris matrim. controuers.

contrarias circa hanc quaestionem sententias distracti, passim videas, quosdam scripturae sacrae testimoniis pugnare, non intelligentes, & rationes ex philosophia depromtas hic requiri, & sacri codicis effata parum fauere negantibus, solidius disputaturis, si libere rem pensarent, rationibus ex natura hominis accersitis, quales largiter suppeditat iuris naturalis notitia. Ex qua itidem conciliantur facile, quae de

C

con-

Ioh. BRUNSMANN de monogamia vidtrice; TITIUS in diss. de polygamia, incestu & diuortio. BAYLE in diction. voc. Ochinus, HOCHSTETTER, colleg. Pufendorf. exercit. IX. §. 12. FELDEN ad Grotium; recentiori aetate GUNDLING & WERNSDORF, ille in via ad verit. iur. prud. nat. cap. XXV, § XVIII. hic in disp. de polygamia conf. Boeckler. ad Grotium, pag. 159 seq. & HUBERVS digr. lib II, cap. 16. *Affirmant* contra GROTIUS de I. B. & P. lib. II. cap. V, § IX, ibique a Tesmario not. TEXTOR synops. iur. gent. cap. III, n. 30 seq. THOMASIVS iur. prud. diu. lib. III, cap. II, § 200 seq. conf. eiusdem disput. de crimine bigamiae. Notus est patrociniio polygamiae BERNHARDVS OCHINVS, de quo praeter BAYLIVM modo laudatum vid. Obs. Halens. Tom. IV, 20. & SANDII Biblioth. Antitrinit. pag. 5. Pertinet & huc THEOPHILVS ille ALETHEVS, seu, qui hoc sub nomine latere voluit, IO. LYSERVS, auctor polygamiae triumphatricis, quae prodiit anno 1682. Talis quoque est DAPHNAEVS ARCVARIVS, seu, si Kulpisio habenda fides, colleg. Grot pag 56, LAURENTIVS BEGERVS, qui anno 1679 dissimulato nomine edidit germanice succinctam liberamq; coniugii contemplationem. Accedit ad horum sententiam MEISNERVS in philos. sobria. *Pufendorf.* I. N. & G. utrorumque rationes enumerat, & iudicium lectori relinquit, nisi, quod monogamiam praestare polygamia iudicat, lib. VI, cap. I, §. 16 seq.

*concupinatu* agitatae sunt lites. Quae de *diuortio*, eiusque iure in utramque partem disceptantur, non possunt recte diiudicari, nisi solidis iuris nat. principiis sis subactus g). Quae & in aliis quaestionibus iudicandi rationem subministrant, difficilem omnino, si deficient. Ut, si de coniugio aetate disparium disquiritur, de coniugio clandestino, & quae huc alia pertinent, ita comparata, ut vsuum in iudiciis quoque ecclesiasticis praestent insignem.

## § VIII.

a pag. 82 conf. de Off. H. & C. lib. II, cap. II, § V, & ZEIDLERVS de polygamia, potissimum § VII, sqq & XII, qui consentit cum PVFEND. Affirmantiū quoq. a partibus est TREVERVS ad Pufendorf. de offic. hom. & civ. lib. II, cap. II, § V pag. 374 seq. GRIBNER. princip. iurisprud. nat. lib. I, cap. VIII, § V, pag. 115 seq. &, qui cum Wernsdorfio celeb. adhuc disputavit I. A. E. in unpartheyischen Gedanken, quibus litteris nomen & auctoritatem dissimulare voluisse putatur *Willenbergius*, vid. unschuldige Nachrichten Anno 1717. 5te Ordnung pag. 801. ut alios plures taceam, passim obuios testes, haud immerito optare Treuerum, ut tandem quiescerent scripta eristica circa hanc materiam, cuius controversia non tantum parum habet utilitatis, quod de eius, quod tot iuribus interdictum, licentia frustra disputetur; sed etiam maxima eius pars ad logomachias referenda sit. Sed & de hac re alibi plura.

g) Non minus acriter disputatur de *diuortio*, de quo ingens auctorum numerus posset recenseri. Iam sufficiat prouocasse ad GROTIUM loc. cit. Pufendorf. loc. cit. § 20, pag. 82; se ASELDEN. Uxor, hebr. libr. II. cap. 9. BOEHMERI dil P. de iure princip. euangel. circa diuortia. De *concupinatu* praestant omnibus nota, quae a THOMASIO, IAEGERO, BREITHAUPPIO, STOLTZIO, aliisque adhuc edita sunt.

## § VIII.

Quae de magistratu proponuntur, viuiddora sunt omnia, si de origine magistratus, & necessitate, diuersis imperandi formis, aliisque talibus, primi iuris mandata quis hauferit: quae equidem propius videntur politicam attingere, non minus tamen illud dogmaticae theologiae caput illustrant, & fundamento quodam suffulciunt, quo de magistratu exponitur. Imò de religione, de Christianorum coetu, quem ecclesiam vocamus, de cultu DEI, atque peculiaribus Christianae religionis ritibus, &, si quae huc pertinent, speciales doctrinae, lucem quandam petunt a nostro iure naturali. Quod qui scrutatus est, discrimen ingens inter coetum aliquem naturalem dignoscit; & inter societatem illam, quae alicuius principis, aut plurium nutui obtemperat; atque ita partem iam habet praecipuam delineatam historiae illius, quae originem & incrementa religionis nostrae describit. Religionis autem naturalis vestigia passim comparent in litterarum monumentis, diuinitus nobis proditis, non adeo distincta, si nullam animo conceperis religionis naturalis ideam. Ita & illa, quae sacris litteris perhibentur de magistratuum primordiis, illustriora fiunt, & cognitu faciliora, si iuris natura nobis inditi argumenta nouimus. Quibus multae quaestiones, passim inter eruditos, non sine feruore disceptatae, ad soluendum ita redduntur faciliores, vt solutionem statim suppeditare videantur illi, qui mentem habet istis praecognitis accensam. Quemadmodum contra istis destituti, siue sunt obtusiores, siue in opinionibus iam susceptis pertinaciores, & impo-



biles quasi ad rationes quantumuis euidentissimas. Sed non possumus, propositi nostri ratione, breuitatem suadentis, admoniti, plura adicere, quibus probemus iurisprudentiae naturalis in theologia positua utilitatem. Festinemus itaque ad reliqua, & quid illa iuuet caeteras partes, nonnullis exemplis ostendamus.

§ X.

Qui statim in introitu theologiae occurrunt, aduersarii, sunt *atheis*. Hi DEI existentiam negantes, omnem de rebus diuinis notitiam spernunt, religionis uasri illusores, omnem spem futurae felicitatis aeternae, & quicquid inde solatii ad tristes uanitate rerum praesentium animos redundat, quicquid etiam de infinitis cruciatibus temerariis peccandi terrorem debebat incutere, pro ludibrio, nugis atque frenis immoderatae plebis habentes. Infelicissimum genus mortalium, quos terra alit: sunt enim spe meliorum rerum sua ipsorummet culpa exclusi, atque in absurdissima sententia eo plerumque pertinaciores, quo sibi magis opinionis, quam fouent, raritate probandique difficultate placent. Quae causa subest, ut supra omne genus humanum sibi sapere uideantur, quidquid de DEO certum ratumque est uniuersis ferme gentibus, ob id ipsum, quod communiter ab omnibus creditur, tanquam plebeium, sublato supercilio, dissimulatoque assensu, intra se contemnentes. Quamquam igitur *uolunt* potius ista credere, quam non credunt: tanta tamen est mentis humanae in iis rebus, ad quas subvertendas intellectum uoluntas determinat, procacitas, atque in fingendis speciosissimis rationibus solertia, ut non  
desti-

destituti sint farinae istius miselli homines argumentis, quibus non tam probant, quod volunt; quam id potius faciunt, ne, quod cupiunt stabilire *ἀνεως παραδοξότερον*, sine ratione adferere videantur. Arma, quibus mentes talismodi expugnes, non spernenda quidem philosophiae pars illa suggerit, quae artem recte potenterque disputandi tradit: sed non tam arma, quam armis bene utendi modum illa praescribit: ipsa instrumenta, hoc est materiam, qua conuelle-  
 re istorum fictiones queamus, philosophia moralis, & quae pars eius est, *iurisprudentia naturalis* porrigit. Haec enim non tantum a consensu gentium *b*), sed etiam ab hominis humanaeque naturae penitiori consideratione *3*), societat-  
 um origine & incrementis, & quae sunt alia talismodi, validissimo nexu ad Numinis existentiam concludit. Qua-

C 3

lia

*b*) Quod argumentum non esse admodum validum, passim observant eruditi. Tum, quod omnibus gentibus quidam sensus DEI tribui nequit; traduntur enim quaedam atheae: Tum, quod gentes quoque in erroribus consentire possunt. Illud amoliri conatus est Ioan. Lud. FABRICIVS, in apologetic. pro genere humano, contra calumniam atheismi, cum quo conferri omnino meretur Celeberrimus Io. Alb. FABRICIVS bibliograph. antiq. cap. VIII, pag. 229 sq. vid. quoque Zach. GRAPIVS theol. recens controu. cap. I, quaest. VI, pag. 32 sq. & Mons de la GROZE entret. sur diverses sujets d'histoire &c. pag. 254, sqq.

*3*) Quod argumentum iam exposuit CICERO, incomparabili loco, quem vid. de nat. Deorum lib. II, prope a fine, opp. m. tom. III, pag. 323 sqq.

hae equidem peculiari studio congesse-  
 runt, qui de existentia  
 DEI *k*), de religione naturali *l*), & contra Atheos *m*),  
 scripserunt. Sunt & aliae opiniones, quae quidem existen-  
 tiam DEI non statim videntur euertere, eo tamen directae,  
 vt

*k*) Pertinet huc H V E T I V S in demonstratione euangelic.  
 P A R C K E R V S de DEO, & prouidentia diuina. IOSEPH.  
 R A P H S O N. demonstratio de DEO, quae prodijt Londin.  
 1710. L O C K I V S de intellectu human. lib. III, cap. V, T H O -  
 M A S. Einleitung zur Sitten-Lehre cap. III, C V D W O R T H  
 in system. intell. quem excerptit Cleric. bibl. chois. in tomis  
 prioribus, cuius etiam vid. tom. XXVI, pag. 279, ubi recenset  
 S a m. C L A B C K I I demonstrationem existentiae & attributo-  
 rum DEI: alique plures,

*l*) vid. H E I N S I I theolog. nat. R O E L L. de relig. natur.  
 P R O E L E I disp. de religione hominis & boni ciuis natur.

*m*) vid. Ant. R E I S E R I de orig. progressu & increm. Athe-  
 ismi Epist. diss. edit. Aug. Vindel. a. 1669. Qui autem alii  
 huc pertinent, & quae modo dici possunt, complexus est  
 omnia celeb. B V D D E V S noster, in aureo tract. quem in-  
 scripsit thes. theolog. de Atheismo & superstit. cum quo conf.  
 B I E R M A N N I impietas atheistica. Vt taceam, qui promi-  
 scua tradunt, M O R N A E V M, G R O T I V M, Theod. B I -  
 B L I A N D R V M, Io. M I C R A E L I V M, Lud. V I V E M, Georg.  
 C A L I X T V M, aliosque permultos. Non debet tamen hic  
 omitti F E N E L O N I V S, qui scripsit gall. demonstr. de l' exi-  
 stence de Dieu, quem secuti sunt ciues eius hodie plures, qui  
 idem argumentum tractarunt. Nuper quoque prodijt Be-  
 n. P I C T E T I dissertationum theolog. de religionis Christianae  
 praesentia & diuinitate decas, Genouae.

vt atheismi peruersitatem sustentent, atque ita comparatae, vt non procul abesse ab atheismi insania videri possit, qui eas foueat: quibus si velis, quantum opus est, roboris opponere, in subsidium accersenda est iuris naturalis prudentia. Tales sunt, nihil esse officii, quod naturalis homo DEO praestare possit *n*): nihil esse natura iustum, sed sibi homines aliquod ius ex vtilitate finxisse *o*): lumine naturali hominem de DEO nullam habere ideam *p*): & quae talis farinae sunt alia, quae quam prope attingant limites theologiae polemicae, cui non statim adpareat?

## § X.

Neque minor iuris naturalis probe cogniti contra *Naturalistas* *q*) est commoditas: quorum est eo maxime directa sententia, vt *rationis* dogmata admirentur, nimiaque aestimatione attollant. Vnde *Naturalismus* etiam *Rationalismi*

*n*) quod statuit SPINOZA, tract. theol. polit. c. XVI, & opp. posthum. cap. II, § 8, pag. 273.

*o*) de qua quaestione pluribus agemus in controvers. iuris naturalis disput. I, propediem proditura.

*p*) vti placet HOBBSIO Leviath. cap. III, & de ciu. cap. XV, § 24, cum quo conf. Opalenski de officiis lib. III, cap. I,

*q*) Gisb. VOETIVS, qui de libertate philosophandi scripsit, primus hoc nomine compellauit eos, qui, rationi nimium tribuentes, hac in parte *παλαγιαίωσι*. De quibus, quamquam ignoto tum nomine, grauiter multa dicuntur in apolog. conf. August. artic. II, de peccat. orig. & seq. de iustificat.

*nalismi* nomine vocari solet. Accidit his, quod gentibus fere omnibus accidisse obseruamus. *Ratio* enim, exulta paulisper, nimio plus sibi placet. *Exulta* autem *ratione* pollere sibi quisque facile videtur: prout nihil ferme tam turpe habetur peruersis mortalium animis, quam errasse, aut errare: quam notam vnusquisque, genere quodam prauae philautiae, a se amoliri conatur. Hic latet vltima ratio difficultatis, quae passim, in reuocandis ab errore gentibus, obstitabat primis christianae religionis propagatoribus. Potissimum hoc ex eo colligere licet, quod pauci admodum paganorum sacris dediti, qui inter philosophos referebantur, ad meliorem mentem sunt redacti. Certe, si *conuicti* de veritate Christianae religionis fuerunt, prout multos fuisse non est dissimile vero, *confessos* esse puduit. Quemadmodum contra *Iudaeorum pertinacia* eandem divinae voluntatis doctrinam, auersa voluntate, non admittebat. Vt ideo *gentilium* meliora docendorum difficultas oriretur ex pertinacia, in rationis, sibi nimium placentis, iactantia fundata; *Iudaeorum* occoecata mens esset praedicio, quod de redemptore atque rege mundano conceperant. Vnde est, quod *Paulus* adserit, doctrinam suam de Christo Iudaeis esse *offendiculo*, gentilibus philosophis *dementiae* r). Ex quibus simul de antiquitate *Naturalismi* adparet. Ex gentibus enim, quicunque erant philosophiae cuiusdam splendore sufflati, quidni ad *Naturalismum* prolapso esse dicam? qui sane, quod idem faciunt recentiora  
aetate

---

r) vid. I. Cor. I, 21, 22, & 23.

aetate istius clasfis homines, cognitione & exercitio virtutis ad futuram quandam felicitatem se peruenire posse opinabantur. His nulla alia ratione euelli error, nec opposita verior sententia instillari potest, quam si curtam admodum rationis, sibi relictae, circa res ad aeternam felicitatem cognoscendas, supellestem excutias, demonstrans, quam illa coecutiatur de animae immortalitate, eiusdem a corpore diuulsae statu, DEVM nobis iratum conciliandi modo, & quae alia huc pertinent. Quod vt fiat, non possumus iusti naturalis disciplina, quae, quicquid ratio de officiis DEO praestandis dicitur, exponit, indigere; quae ideo cum theologia comparanda est, vt defectus rationis ex huius abundantia eo dilucidius adpareat. Non tam igitur est admirandum, quod olim gentiles tantum confisi sunt rationi superbae, vt ista prae lucente ad summam aeternamque felicitatem se peruenturos crederent: quam, quod nostra aetate non defuerunt, quibus ita videretur, longe reuelationis lumini propioribus; imo qui ante oculos habent, quod illis, si non penitus oclusum, certe valde obscurum erat. Quod enim praeter alios r) *Clemens Alexandrinus* existimauit, *per se aliquando Graecos iustificaturam esse philosophiam: multas enim esse vias ad salutem*, idem id reuocauit EDVARDVS ille HERBERTVS. de CHERBV.

D

RY

s) Idem etiam statuit IVSTINVS MARTYR in apologet. II, qui SOCRATEM, ARISTIDEM, & alios tales saluatum iri putauit. vid. BECHMANNVS instit. theolog. proleg. annot. ad § XVII, pag. 21 seq.

RY 1), non minori ingenio quàm impudentia adserere annisus, communes, quas vocat, *circa religionem notitias* quasdam sufficere homini, qui aeternum sibi bene esse velit. Sed non sustinuerunt lubricae istius rationes theologorum nostratum rigidius examen.

## § XII.

Haec quam sese diffundant in alios quoque doctrinas theologicas, facile cognitu est unicuique, qui vel primis labris, quod aiunt, sacra illa dogmata delibavit. Quod de-  
nuo euincit, quod probatum imus, ingentem ad theolo-  
giae

---

1) scripsit ille librum de religione gentilium, errorumque apud eos causis, quem vid. pag. 210, seq. postquam ediderat alium, de veritate, quatenus distinguitur a reuelatione, verosimili, possibili & falso. Excerptit *notiones illas & euerit* BECHMANNVS, loc. cit. eum quo conf. Magnif. atque Celeb. RVDDEVS noster thes. de ath. & superstit. pag. 128, ibique citatus Christ. KORTHOLTVS. Peculiarem disput. olim B. MVSAEVS habuit, contra Steph. CVRCELLAEVM directam, de quaestione, an gentiles absque fide in Christum per extraordinariam DEI gratiam ad salutem aeternam per-tingere, aut minimum ignis aeterni supplicium decinare possint? Ien. 1670. Idem dissertationem HERBERTO opposuit de luminis naturae & theologiae naturalis insufficien-  
tia ad salutem annex. Eiusd. diss. de aeterno electionis de-  
creto. Iungatur quoque Spanhem. elench. pag. 623 seq. it. DRECKMANNI stricturae histor. theolog. in varia natura-  
capita, praeside celeb. Paulo ANTONIO Halae a. 1708. publ. disp. propos. Pertinet & huc Celeb. WERNSDORF. Commentatio de indifferentismo relig. diss. I, § 82.

giae studiosum iurisprudentiae naturalis cognitae vtilitatem redundare. Et quidem eo maiorem, quo plures hodie videntur surgere *Eduardi* adstipulatores. Possem heic altius descendere ad doctrinam de iustificatione, de auctoritate scripturae sacrae, atque alia capita. Sed, quoniam, quae huc moneri possent, facile ex iam monitis patefiunt; prout generaliorum facilis est ad specialiora applicatio; vtemur euidencia rei tanquam argumento pro licentia breuiratis. Potissimum, cum, quam prima theologiae capita, de theologia in genere, & speciatim de theologia naturali, nostra disciplina, tanquam substrato fundamento, nitantur, oppido quilibet, rerum non profus ignarus, deprehendat. Progrediamur itaque ad theologiam exegeticam.

### § XIII.

Theologiae exegeticae est *interpretari* scripturam sacram, neque tantum in *verborum* significationes, radices, vim atque vsum inquirere, sed etiam totius orationis *sensum* explicatione *rerum* clarissimum reddere. Ex quo consequitur, non esse satis ad artem *exegeticam*, linguarum, quibus nobis descripta est diuina voluntas, notitiam habere; sed requiri insuper historiarum, antiquitatum Iudaicarum, atque philosophiae tum vniuersae, tum practicae, cognitionem haud leuem. Quod ita esse planum fiet vniciuique, qui nostri temporis interpretes cum interpretibus antiquis; quos ista subsidia destituerunt, commiserit. Pars autem illa philosophiae practicae, quae iustum, natura cognoscendum, dicitur, haud parum adfert explicationis ad illa loca omnia, quae ad iustitiam quandam, naturali lumine



perspectam respiciunt, quorum nonnulla, exempli causa, leuiter tantum attingisse sufficiat.

§ XIII

*Adamus*, primus hominum, praeterquam, quod DEVS, ne ab arbore illa cognitionis boni & mali ederet, interminatus est, nihil habuit legis scriptae, qua ad faciendum bonum, fugiendumque malum commoueretur. Obtemperauit itaque legibus naturalibus, ex quibus omnis status alius explicandus est: quod eo facilius fieri potest, quo plura adparent in Adamo vestigia, quanta sit vis dictaminis conati. Sane, si consulantur iuris naturalis dogmata, solidis rationibus superstructa, facile fuerit iudicare, quid statuendum sit de duplici lege diuina, hominibus lata, quam Rabbinus tradunt; aut triplici, ut vult GROTIUS <sup>u)</sup>. Imo & de lapsu primorum parentum, & quae ad illam historiam pertinent, solidior erit explicatio, si de DEO, de hominum actionibus, prout ad legem diuinam referuntur, de poenis, de conscientia, & quae alia huc concurrunt, iuris nat. capita, rectam firmamque sententiam conceperimus. Qua facile est effugere grauisimos Reformatorum errores, aliorumque ineptas partim atque impias, de primo illo errore, opiniones: quas examinare nostrum hic non est, ne falcem in alienam messem immittere videamur.

§ XV.

<sup>u)</sup> vid. GROTIUS de I. B. & P. lib. I, cap. I, § XV, ibique not. TEMAR d) col. SELDEN. de I. N. & G. iuxta discipl. Ebr. lib. I, cap. 10, pag. 106. GILBERT chronograph. lib. III, pag. 22. OSIANDR. in typo leg. nat. th. 46, pag. 171-

## § XV.

Ita etiam, quae de fratricida *Caino* x) referunt sacrae litterae, dilucidiora fiunt iuris naturalis praecognitis principiis. Lex de fratre non interimendo scripta nulla erat. Nihilominus *Cainus* ad vocem DEI, ubi frater sit eius, sci-  
 scitantis, dissimulato primum facinore, & adscita impudenti quadam contumacia, postea tamen, intellecta seuiore vindictae comminatione, ita contremuit, ut cederet indurata paullo ante mens crudelissimi hominis, quasi emollita poenae instantis indictione, neque os posset quin gravitatem sceleris admissi non tantum confiteretur, sed poenae quoque infecuturae iustitiam adprobaret. Luculentum exemplum, tantam esse vim conscientiae, rei male gestae memoris, & poenae instantis metu percussae, ut, quanquam nihil antecesserit interdicti, tamen sit testis, iudex & carnifex sui hospitis malefici, qui aliquod designare facinus non dubitavit, quod humanae societati inimicum esse, naturae lumen demonstrat.

## ) XVI.

*Israëlitae*, Aegypto demigraturi, vasa ab Aegyptiis mutuati, abstulerunt ea secum, ita ut facerent, a DEO iussi y). In iustitiam huius mandati & facti merito inquirat interpres. Cur autem nonnulli in solutione quaestionis, quo iure ita Deus praecipere potuerit, misere sese distorserint, neque tamen solidam rationem reddiderint, causa sane non

D 3

postrema

x) Genes. III.

y) Exod. XI, 2.

postrema est defectus principiorum I. N. quod, quibus casibus aliena vel inuitis quoque subripi possint. distincte docet: quam doctrinam exemplum hoc insigniter illustrat. Quamquam igitur lucem accendit menti solida praeceptorum traditio, exemplis illustrata, subnevis praeceptorum firmis rationibus; tanta obscuritate laborat, qui in exempla incidit, destitutus iis doctrinis, quae rationes exemplorum largiuntur genuinas atque conuenientes. Ex quo non potest non fieri, ut latibula quaerat, atque ratiunculas proferat saepe tales, pro quibus expediebat dixisse nihil. Quod sane in hoc exemplo factum est a pluribus, uti alibi, una cum resolutione istius facti verbosiori, demonstrabimus.

## § XVII.

*David*, rex populi Israëlitici, ignomiam, legatis suis ab Hanone, Ammonitarum rege illatam, bello ultus est z). Qui sane locus vitro illustrationem desiderat, a iuris naturalis disciplina petendam, quae de iure legatorum tradit, & quibus id rationibus nitatur. Qualia exempla vel mille nullo negotio adduci possent, si consultum videretur, aut opus esset, exempla, quae ad probanda I. N. principia, ex bibliis non minus, quam aliis historiarum monumentis desumuntur, huc conferre. Pertinent huc de Sabbatho, omnique cultu diuino, de ritibus sacris, de bello, aliisque multis diuina oracula, in quibus rite intelligendis frustra fueris, iuris naturalis regulis non instructus. Quamquam enim quidam, qui sibi maximopere videntur istam prorsus exhaustisse discipli-

z) 2 Sam. X, 4 seqq.

sciplinam, in talibus indignissime saepe impingant, atque iuris naturalis praeceptis ad sensum sacrarum litterarum corrumpendum abutantur: nihil tamen inde contra utilitatem ipsius disciplinae euincitur: nisi velis, ex eo, quod malus quis est theologus, malam etiam esse theologiam, concludi debere. Si rationes habeas principiorum tuorum, non cerebrinas, sed ex rei natura petitas, vbique summa eorum fuerit utilitas, atque in utilitate delectatio. Plura qui cupit, adeat indicem locorum scripturae sacrae, quem *Hochstetterus* collegio suo Pufendorfiano adiecit, qui exemplorum ex sacris oraculis petitorum potissimum rationem habuit, laudabili consilio.

### § XVIII.

Id tamen transire non possum, quod utilitatem, quam iuris naturalis praeceptiones interpreti sacrorum librorum praestant, prae aliis multis clare probat, quodque de *Gedalia* narratur *aa*). Hic a rege Babyloniorum praefectus urbium in Iudaea constitutus, Ismaëlis fraudulentia sapinus, & surdus, cum Iohanan aurem velleret, circumuentus postea improbitate Ismaëlis, atque occisus cum ingenti hominum multitudine, dicitur causa extitisse funestissimae cladis, quam ille auertere cautior & poterat & debebat *bb*). Hic locus illustrat

*aa*) Ierem. XL, 4 seqq. & cap. XLI.

*bb*) cit. l. XLI, 9 dicitur, ISMAEL occidisse eos *בְּיַד-גְּדַלְיָהוּ* i. e. per manum Gadaliae, quod per Ebraismum indicat culpam atque negligentiam Gadaliae. Quadrat & huc exemplum indulgentis nimis erga filios suos petulantes & lasciuos parentis, sacerdotis ELI, de quo 1 Sam. II, 12, seqq. & III, 11 seqq.

Illustrat eam I. N. doctrinam, qua de imputatione agitur, demonstraturque, quibus casibus fieri possit, ut aliorum quoque actiones alicui possint imputari.

§ X. VIII.

Quemadmodum quoque ad collisionem legum pertinent, quae I Maccab. II, 35, 36, & VIII, 44 referuntur de iis, qui diem, cultui diuino destinatum, inepte iudicantes, adeo sanctum haberent, ut succumbere inuasionibus hostilibus mallent, quam se defendere; mutarunt tamen sententiam, atque arma ceperunt, cum iterum iidem hostes eos adgrederentur. Quod quibus rationibus ita merito factum sit, docet iurisprudencia naturalis.

§ XX.

Redemptor sanctissimus passim quoque aduersarios, ad superstitionem praecipiti mente inclinantes, rationibus meliora docuit, ex nostra disciplina arcessendis, & ita quidem, ut similibus vteretur, quippe clarioribus, quam praeceptorum simplicitas esse solet. Testantur hac de re multa, in eius vita a sanctis historicis descripta: potissimum ea, quae ad controuersiam de sabbatho pertinent, cuius, externis moribus tantum, non animo & ratione, superstitiosa pertinacia Iudaeorum rationem habebat *cc*). Quod enim ius naturae dicitur, cultum diuinum sanae rationi non contrarium esse debere, ideoque illa opera non obistere celebrationi pie, quae ut fiant, summa necessitas exigit, cum procliue sit ad intelligendum, DEVM nolle coli cum summo hominum

damno

*cc*) vid. Math. XII, 3 & 4. Luc. VII, 15. & XIII, 5. Ioh. VII, 23.

**damno**, sabbathum ideo esse propter hominem, non hominem propter sabbathum *dd*), id Christus passim simili, desumpto ab asino aut boue, in puteum delapso, implicuit. Praeter haec atque talia, oppido respicit ad disciplinam de iusto naturali, quod idem sanctissimus seruator praecipit, *quod tibi vis fieri ab aliis, idem illis facies, & contra ee*). In scriptis apostolorum, potissimum *Pauli*, multa sunt, quae praeceptorum iuris naturalis argumenta tradunt *ff*).

§ XXI.

Circa *vsu* iurisprudentiae naturalis, theologiae moralis quem praebet, monstrandum, non est, cur longi simus. Tum enim omnis theologia moralis talia praecipit, quae iuris, naturae humanae inditi scientiam supponunt, *quasi fundamentum illorum*: tum illa potissimum pars, quae *iurisprudentiae diuinae* titulo insignitur, passim quasi prouocat ad scita *iuris naturalis*. Neque enim *differrunt*, nisi *cognoscendi principio*, quod vocant. Si enim *iuris naturalis* mandata qui explicat, rationes placitis suis adnectit, ex *rationis* lumine, seu philosophia, depromtas: theologiae moralis doctor rationibus probat in codice *re-*

E

*velationis*

*dd*) Marc. II, 27.

*ee*) Math. VII, 12. Luc. VI, 31. Tob. III, 16, idem inculcat filio suo. Atque prius hoc principio quod est, de amore DEI summo, aliorumque mutuo, ad philautiam homini innatam aestimando, praecipit, Christus etiam commendat Matth. XXII, 37 depromptum ex Deut. VI, 5 & Leuir. XVIII, 18.

*ff*) imprimis multa sunt talia Rom. XII, 9 seq. quibus tamen sublimiora quaedam christianismi monita interspersa sunt.

*Relationis* designatas. Quas si non potest non saepe cum rationibus philosophicis committere, planum est, illarum notitiam praerquiri in idoneo theologiae moralis auditore. Quod cum ex omnibus omnino huius disciplinae capitibus facile a quouis deprehendi possit, praesertim cum Magnificus atque Celeberrimus *Buddens* noster, delictum orbis litterarii, atque iubar academiae nostrae, tum ipsa methodo, qua procedit, tum rerum quoque apparatu, grauisimo luculentissimoque testimonio id comprobet, quod diximus; nolumus demonstrare, quod nec dubitat quisquam, neque dubitare potest, sed ad ipsas Viri Celeberrimi, quem observantia summa suspicimus, *institutiones theologiae moralis*, & vberiore istarum, quae in praelectionibus continetur, explicationem ablegare.

## § XXII.

Ad *historiam ecclesiasticam*, dilucidius intelligendam, plus confert *iuris naturalis* disciplina, quam statim adpareat. *Primum* enim, vbi DEVS colloquia sua cum hominibus abruptit, diu admodum progenies hominum *alia* praeceptis maiorum, institutione ad posteros translatis, obtemperavit; *alia*, neglectis iis, aut ignoratis, quod *ratio* dictitabat, secuta est. Vnde oritur diuersitas gentium, per omnem historiam sacram maximopere attendenda. Cuius, qui rationem non habuerit, confusionem vix euitauerit. Neque gentium illarum, quibus *ratio* sibi relicta pro actionum regula fuit, historiam recte quis exhauriat, nisi *iuris naturalis* dogmata perspecta habeat. Quae *deinde* etiam haud parum lucis affundunt in dignoscenda religionis apud gentiles,

gen **tile**, & Iudaeorum, nec non christianorum diuersa  
 faci **e**. In vitis eorum, quorum exempla sanctissimus codex  
 nob **is**, siue tanquam incitamenta ad virtutem & sanctitatem,  
 siue **abominanda** flagitiorū specimina, proponit, haud pauca  
 ob **uia** sunt iuris naturalis vestigia. Quae non offendis,  
 si **istius** disciplinae nullam habeas cognitionem. Vita **A-**  
**dami**, **Mosis**, **Davidis**, **Salamonis**, aliorumque, non **vita** erit,  
 sed **fabula** ferme, nisi actionum causas, & quae alia consi-  
 derand **a** veniunt, indagaueris, atque meditationibus elicitis,  
 quas **iuris naturalis** scientia facile suppeditat, lucem quan-  
 dam **accenderis**. Vnico exemplo satis erit eius, quod dixi,  
 veri **tatem** ostendere. **Adamus** ex **Eua**, vitae primum sua-  
 viss **imae**, postea vtriusque culpa miserrimae socia, duos su-  
 sceperat **filios**, **Cainum** & **Abelem**. In horum educatione  
 pater, **si** acutius historiam illam inspicias **gg)**, rationem ha-  
 buisse **videtur** officiorum **DEO**, sibi **met ipsis**, atque **aliis**  
 debitorum. Non enim casu quodam, sed auctoritate pro-  
 cul **dubio** parentum, **Cain** agro colendo, **Abel** vero re pec-  
 cuaria **se** tenuit. Vtrumque vitae genus, pro temporis istius  
 condit **ione**, & simplicissimum erat, & tolerandae vitae ita  
 accom **modatum**, vt tum ipsum laborantem aleret, tum, vt  
 idem **imposterum** aliis quoque prodesse posset. Imo v-  
 trumque poterat omne futurum genus humanum conser-  
 vare, quippe fundamentum alendae vitae, quicquid artis  
 excogita **tura** esset prouentura posteritas. Vti autem in  
 vitae **genere** non tantum prospiciendum erat, vt **nobis**, & vt

E 2

alii

---

 gg) vid. Genes. III.



*alio* consuleremus : ita , quod DEO soluendum erat , praestitit par fratrum primum. Vterque enim sacra fecit Domino , edoctus procul dubio a patre , oblati , quae sua utriusque res familiaris suggererat. Plura ut addam , neque opus est , neque angustia paginae , quae restat , capit , & ex hoc vnico , quantum illustrentur historiae sacrae monumenta praeceptorum , de iusto naturali , scientia , facile potest intelligi.

## § XXIII.

Supereft , vt de eo adhuc commemorem , qui administrandis rebus sacris siue destinavit studia sua , siue iam operatur , tali loco constitutus. Huius non parum interesse debet , si , quod suarum est partium , rite velit exsequi , vt , quid *ratio* dicat homini praestandum , distinguat ab eo , quod *sacris litteris* praecipitur : & , quanta sit reuelati luminis praeconnato praestantia , doceat suos. Quantum praeterea sit discrimen inter *naturam* & *gratiam* , sedulo vrgendum esse videtur. Est enim fons corrupti Christianismi , quod sibi facile placent homines , si ad *externam* honestatem , atque pacem in societate tuendam , *vitam suam* componant , externis ritibus , quibus cultus diuini Numinis peragitur , ita addicti , vt cardinem suae salutis in iis verti existiment , de animi sanctitate vera parum admodum solliciti. Qui error perniciosissimus vt profligetur exmentibus , alia omnia docendis , neque philosophiae in vniuersum saniora dogmata , neque practicae potissimum , cuius partem *ius naturae* conficit , abesse debent. Cuius praeterea ingens est utilitas in frangendis hominum erroribus per-

tinaci.

tinae **ae**ibus, reducendis in rectam viam improbis, erigendis-  
 que **ea** nimis afflictorum. Est enim facile ad intelligendum,  
 ho **m**ines plerosque, potissimum qui multitudinem augent,  
 siue **e** esse adhuc in statu *bestialitatis*, siue non admodum  
 longe inde distare. Id itaque primum curae esse debet, ut  
 sint **h**omines, hoc est, qui compescere effrenas affectuum  
 libidines possint, atque sanae rationis dictis sint audientes.  
 Ex **h**ominibus postea facilius fiunt *christiani*, quam si saltu  
 quodam rudem indigestamque molem statim polire velis,  
 nondum exasciatam. Id quod ideo facile fieri potest, quod  
 scriptura sacra passim ansam praebet ad captum plebis phi-  
 losophandi, & quod vel simplicissimus animus ea capit  
 audis **s**ime, quae intra se deprehendit, & quae sentit qui-  
 dem, declarare tamen verbis, originem demonstrare, cur sit  
 ita, **r**ationes inuestigare, & quaenam isti malo medela op-  
 ponenda sit, nescit. Docet itaque *ius naturae hominem a*  
*christiano* discernere, atque, quo vterque modo tractari  
 debeat, admonet. Ut taceam alia multa, quae partim ex  
 his, quae tetigimus, colligi possunt, partim studio breuitatis,  
 nunc **o**mitti oportet.

## § XXIII.

**H**aec si talia quis forsitan existimet, quae per se facile  
 adparebant cuique sanae rationis compoti, ad illum haec  
 qualiscunque opella non pertinet, iam gnarum eorum, quae  
 ignaris demonstrare animus erat. Quanquam saepe tum  
 demum rem scimus, quando alius dixit. Solet enim ita  
 euenire permultis, qui, quid dicant faciantque, prorsus nesci-  
 entes, tum statim sciunt, si alius quis idem dixit aut fecit.

E ;

Et

Et aliud est aliquid cognitum habere obiter, aliud idem ex rationibus solidis nosse, quae semper facilius percipiuntur, quā inueniuntur. Quod quidem exemplū illius adumbrat, qui *Columbo* gloriam inuenti noui orbis inuidens, non tam difficile id sibi videri dixit, quin & ipse, si occasio sese obtulisset, fuisset inuenturus, cuius ille opinionem ouo, in mensa ita statuendo, ne caderet, repercusit. Neque est, quod dicas multa per omnem theologiam recte esse tractata a viris eruditis, siue docerent dogmata, siue aduersarios refutarent, siue sacri codicis argumenta interpretarentur, quanquam siue prorsus ignorarent, siue tñcti vix essent notitia principiorum, ad ius nat. pertinentium. Praeter enim id, quod iam supra monui, nos non *necessitatem*, sed *utilitatem* iuri naturali ad theologiam adserere, multa sunt recta in suo genere, quae meliora esse poterant. Id igitur euincere voluimus, *melius* esse, si sacris studiis quis deditus iusti naturalis praecepta habeat perspecta, quam si ea ignoret.

## § XXV.

Caeterum, quod nimis breues fuimus, B. L. excusabit breuitate temporis & angustia paginae, nec non spe, quam passim fecimus, prouocantes ad nostras controuersias iuris naturalis, vbi multa, quae hic tantum pressim summatimque inuimus, plenius edisseremus. Vale interim B. L. studiisque nostris pro humanitate Tua faue.

SYNOPSIS

## SYNOPSIS

**ROGEM,** § I. Instituti & iuris naturalis *utilitatem* commen-  
dat.

II. In disciplinarum *utilitatem* inquirendi modum  
ostendit.

III. Philosophiae *osores* refellit.

III. Ad ignavos pertinet.

V. Iuris naturalis contemtoribus *respondet*.

VI. De iis, qui ius naturae ad philosophiam per-  
tinere negant: vbi simul cum voto praef-  
atum concluditur.

**DISP.**

§ I. Ex encyclopaedia de *utilitate* I. N. ad theolo-  
giam colligit.

II. *Utilitatem* huius disciplinae distinguit.

III. *Iurisprudentiae* vocem explicat.

III. Cur *naturalis* appelletur, indicat.

V. Praecipuas theologiae partes, in quibus *usus*  
I. N. demonstrandus est, recenset. Hinc  
ostenditur *utilitas* I. N.

a) VI, VII, VIII & VIII in theologia *ethica*.

b) VIII, X, XI & XII in theologia *polemica*.

c) XIII — XX in theologia *exegetica*.

d) XXI, in theologia *moralis*.

e) XXII, in historia *ecclesiastica*.

f) XXIII, de *utilitate* I. N. quam praebet concio-  
natori.

XXIII, continet *περίληψιν*.

XXV, *Brevitatem* B. L. excusat & concludit.

OPTIMAE

OPTIMAE INDOLIS ET SPEI IUVENI

GOTTLIEB CHRISTOPH.  
QVEHLIO,

AMICO ET CONTVBERNALI SVO SVAVISSIMO

S. P. D.

PRAESES

**N**ihil est dignius bona indole tua, nihil convenientius voluntati optimi parentis, fautoris mei eximii, quam quod specimine hoc declaras, nihil tibi esse antiquius, quam ut studiorum tuorum vitaeque ratio optimorum parentum voci respondeat. Quod ut felix faustumque tibi esse benignissimum Numen iubeat, eo sincerius volo, quo pluribus sum obstrictus & parentis tui maxime reuerendi, & tui ipsius fauoris erga me amorisque singularis testimonis. Quibus ut non tantum studium meum, sed officia quoque, si qua in me sunt, omnia opponam, & aequitas postulat, & urget nota mentis ingratae turpissima. Faxit summum optatumque Numen, ut mens tibi constet veritatis solidaeque eruditio- nis amantissima, nec minus verae virtutis pietatisque studiosa. Quod si fuerit, dubium non est, quin aliquando digna tali mente felicitate perfruaris. Quod ita fore, & ardor ille, quo in bonas literas accensus es, in quibus ingens quaedam incense tua delectatio videtur; & morum suauitas, qua aliorum conciliare amorem tibi facile est, praesagio haud dubio promittunt. Vale, lectissime iuuenis, amice coniunctissime, bonae menti feliciter non minus quam solerter operare. spem optimi parentis de te conceptam, non tantum imple, sed etiam supera, & denique, quod mea maxime intentum est, quodque facis, me, tui studiosissimum, amare perge. Dab. Iena ae d. V. Ianuar. clb lb CCXX.

Perge

**P**erge librum **SANCTVM** rati-  
one exponere **SANA**.  
**SANCTA & SANA** debinc  
mens tibi semper erit.

Hæc Nobiliss. doctissimoq. **QVEHLIO**,  
de usu iurisprud. nat. in theologia disputa-  
nti, adscripsit gratulabundus

**ADAM. FRIDERICVS** Lib. Bara de **STACKELBERG**.  
**LIVONVS**.

**M**acte tuis studiis, **QVEHLI**, macte ausibus  
istis!

Quis nunc declaras, spes bona quanta tui  
Concipienda tuis merito fiet, atque parenti:

Cuius solamen mox eris atque decus.

Perge bonis votis sic respondere tuorum,

Quis demum cunctis gaudia magna dabis.

*Ita adplaudebit **QVEHLIO** suo,  
ad optima quævis alacriter con-  
tendenti, amicus serio d'777, alque*

C. S. c. T.

F

**C**onnati nobis quid sacris dogmata iuris  
Proficiant studiis, suavis amice, doces  
Et specimen quidem hoc non tantum per docet omnes;  
Sed monstras studiis clarius illa Tuis  
Ex quo iustitiae conformis vita sodalem  
Te reddit placidum, Theologia pium.  
Dat prius, ut redament omnes Te, quemuis aman-  
tem;  
Posterior causa est, ut Te amet ipse DEVS.  
Hinc felix huius terreni eris incola mundi,  
Hinc felix vitae sine carentis Abas.  
Gratulor hoc specimen tibi, gratulor omnia fausta,  
Te, socium talem, quae quasi laeta manent.  
Quod superest, rogo, sincero pectore amantem  
Pergas constanter me redamare. Vale.

Nobiliss. atq. doctiss. QYEHLIO, amico  
suo probatissimo hanc animi tesseram  
votivam adiicere, & prosperae quaeque  
apprecari voluit

IO. DAV. HEVMANNVS, Alstediens. Sa<sup>no</sup>. Palat.  
Ph. & Th. Studios.

# ERRATA.

- B** - L. pag. 3, § III, lin. 6. legat didicisse.  
10, § VII, - 9 - dissentiant.  
ibid. VIII, - 3, - mutuantur.  
17, in not. lin. a fine 5. ger manice.  
18, not. lin. 1. leg. a pag. 821.  
21, not. h. lin. penult. leg. Mons. de la CROZE.  
26, § XII, lin. 1. leg. in alias quoque &c.  
29, § XV, lin. 6. - seueriore.  
31, § XVIII, 5 - supinus.  
33, XVIII, - 4 - habebant.  
38, lin. 11 - - tincti.



